

162

sacra unctione et consecratione propter quod de salmone scribitur iij. a. iij. q. sta  
 si recepta sac unctione dominus apparuit sibi per sompnum dicens. Postula a me  
 quod ius est tibi postulasti sapientiam et prudentiam dominum est tibi. Cor sapiens et intelligens  
 datum est tibi in tantum quod nullus ante similis tibi fuit nec post te surrecturus sit.

**A**d tertium sic procedit videtur enim quod imperator electus non possit ante eius  
 confirmationem in regno almanie administrare quod eadem est ratio to-  
 tius et partis eadem ergo est ratio totius terre et unius globe et totius ignis  
 et unius scintille ut dicitur iij. phisi. Sed regnum almanie est aliqua pars  
 imperii. Si ergo non potest administrare sine confirmatione in toto non poterit ad-  
 ministrare in illa parte. **P**ost antequam totum occidentale imperium sub domi-  
 nio romani pontificis mandavit gubernari immediate cum quo regnum almanie  
 sub occidentali imperio existat non poterit ibi administrare nisi per confir-  
 mationem papae. **P**otest huiusmodi administrare in regno almanie statim electus ut  
 rex aut hoc est ratione qua rex aut ratione qua imperator non ratione quod ex  
 non est electus in regem sed in imperatorem nec ratione qua imperator quod sic ubique  
 potest administrare. **I**n contrarium est consuetudo diuturna que equipollet le-  
 gi secundum quod phidrus dicit. **C**onsilio Dicendum quod aliquid dicitur ius acquisitum esse  
 imperatori per solam electionem administrandi in regno almanie propter duo.  
 Primo ex diuturna et longa consuetudine de qua si disputare volumus ut  
 ex consuetudine aliorum alios imperatorem oritur incerta luctatio propter quam  
 vitanda summe cavendum est ne tempestas contentionis serenitate caritatis  
 obnubilet ut dicit augustinus in hi. de i. die sabbati. Secundo ex ordinatione illius reg-  
 ni et consuetudine illius populi cui se tanquam iure proprio possunt se sibi subijcere  
 de alijs partibus ei non veniunt ordinare et istud puto esse verum si ipsa dissilat et  
 contrarium sibi non mandatur quod in talibus que ex ordinatione ecclesie pendunt eo ipso  
 quod dissimulantur et non prohibentur intelliguntur esse concessa. **A**d primum er-  
 go est dicendum quod licet in partibus hogenijs de quibus loquitur philosophus eadem ratio  
 sit totius et partis quantum ad predicationem eo quod quilibet pars ignis est ignis et  
 quilibet pars terre est terra non tamen est eadem ratio quantum ad actionem vel passi-  
 onem. possit enim aliqua pars ignis in aqua querti quod tamen non totus ignis et ali-  
 qua pars terre possit sursum elevari per calorem solis quod tamen non tota terra. sic  
 in aliqua parte imperii permittitur imperatori administrare quod tamen non permit-  
 titur sibi in toto imperio nisi sit per ipsum confirmatus. **A**d. ij. e. 88 quod tempore co-  
 stantini romanum imperium erat totum integrum sed postmodum tyrannice et usurpa-  
 tive tam imperium orientale quam occidentale fuit et est multipliciter divisum. et  
 ideo ecclesia propter pacem servandam solum circa partes ytalie temporalium admis-  
 sionem permittit imperatori cum solemnitate confirmationis et coronacionis. In alijs  
 autem partibus non exequitur quam habet iurisdictionem sed prudenter dissimila-  
 suorum fidelium principum dominationem. **A**d tertium est dicendum quod administrat